



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Baptistae Mantuani Carmelit[a]e de patientia aurei libri
tres**

Baptista <Mantuanus>

Dauentrie, 1515

Cur bonis mala eueniant philosopho[rum] opinio ca.x

urn:nbn:de:hbz:466:1-30534

Libet Secundus.

re succederet, recta haec cogitatio sermoque fidelis. Sic procul dubio nobis accidit Carole Antoni vir optime. Deus nobis pater est, longe plus nos amat sapientius gubernat quam nos ipsi. Sed nostra temeritas fides non habet. Fides nostra caeca est, spes nostra spiritum carens tanquam follis sine vento iacet, frustra ergo dictum est. Jacta in domino curam tuam, et ipse te enutriet. Ergo tam surdi erimus, ut non audiamus dominum ad nos ex euangelio Mathei clamantem. Considerate lilia agri quae non laborant neque nent. Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Nolite in crastinum solliciti esse, sufficit diei malicia sua hoc est anxietas et sollicitudo. Querite primum regnum dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiacentur vobis.

Cur bonis mala eueniant philosophorum opinio. **C**ap. x.

Diatonici quidam (in quorum catalogo Plotinus est) cur boni flagellent a deo causas inquirentes ad Pythagorae Palingenesiam recurrerunt, quae ab aliquo demone persuasus se aliquando euphorbus, aliquando pauones fuisse putauerat. Existimauerunt ergo animas pluries in corporibus fuisse, et pro vnius vitae meritis premia in alia vita recipere, et sic fieri, ut quae vni corpori iuncta peccauerint, in alterius consecratione plectantur, atque ita iuste potuit pro euphorbi scelere pati Pythagoras, sed longe nobis aliena mens est. Palingenesiam catholica non audit ecclesia, praeter eam de qua Christus dixit oportet vos nasci tenues quod dictum est admiratus Nicodemus princeps phariseorum. Quomodo inquit potest homo nasci, cum sit senex. Sed de hac modo non est sermo. Astronomi caelo imputant, unde Marcus Manilius in quarto astronomico libro inquit

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.

Longaque per certos signantur tempora cursus.

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet

Tunc et opes et regna fluunt, et sepius orta

Paupertas, artesque datae, moresque creati

Liber Secundus

Et vitia, et clares, damna, et compendia vite

Vulgaris et superstitiosa gentilitas numina quedam aduersa esse credidit, quibus infestandi homines libido insit, et ea esse que Virgilius lena appellauit, his non contradicimus, sed ad orthodoxe fidei regulam reducentes lena hec numina demones nominans nocendi auidos ac nobis infensos et ideo numina dici potest quod habent voluntatem ac potestatem. Numen enim utrumque significat, Si ipsos cum stellis et causis omnibus quas scolas dicunt, sub arbitrio coelis Dei Optimi Maximi, credimus contineri quod et sancti Job restatur historia. Illic namque dicitur potestatem tentandam Deo datam, nec prius ausum fuisse diabolum, nisi quando etiam tenuis accepit a Deo

De sex cause flagellorum nostrorum

Capitulum xi.

Beatorum vero patrum qui Deo inspirate locuti sunt, sententia est, quatuor de causis fieri, ut homines vite huius angustiis pressi multipliciter flagellentur a Deo. Ego autem sex et amplius causas esse conperio quod sacre scripture testimoniis constat. Quidam namque flagellatur a Deo ut flagitiose vite maculas poenitentia deleant, peccatum enim quod prudentia non cauet, poenitentia delet. Et ipsa ut sancti docent scilicet post naufragium est tabula. Nam cum statim baptizati in riu ecclesie sinu ingredimur qui nos ad coeli portum vehat, nauem itram? Ecclesia namque nauis est Petri. Si si furentibus tentationum procellis innocentie carina soluta sit. Corripienda est poenitentie tabula. Cui pro vndosus seculi fretum innitentes et si non sicci, viui tamen feramur ad littus, peccati autem remissionem, littus voco. Sed quoniam in his naufragiis quidam, usque adeo stulti sunt ut neque saluari curet, Deus optimus ac piissimus nauarchus eos ut tabulam hanc capiant, verberibus excitat, negligentiam increpat, somnolentiam discutit, et lethargicam ignauiam studet pastor bonus flagris abigere, hanc ob rem populus Hebreus missus est in captiuitatem totiens, totiens incola fuit in terra aliena, et in Aegypto sub Pharaonibus, et in Babylonia sub Assyriorum regibus, ut tot incommodorum malleis attriti, et poenitentie scobina ac lima expositi